

rum. Quia nimirum sanctorum mens principaliter in summis erigitur, cum exterius perpeti abjecta cernuntur. Auro autem, hyacintho ac purpurae bis tinctus coccus adjungitur; ut ante interni judicis oculos omnia virtutum bona ex caritate decorentur; et cuncta quae coram hominibus rutilant, haec in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quae scilicet caritas, quia Deum simul ac proximum diligit, quasi ex duplice tinctura fulgescit. Qui igitur sic ad auctoris speciem anhelat, ut proximorum curam negligat, vel sic proximorum curam exequitur, ut a divino amore torpescat: quia unum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Sed cum mens ad praecepta caritatis tenditur, restat proculdubio ut per abstinentiam caro maceretur. Unde et bis tincto coco torta byssus adjungitur. De terra etenim byssus nitenti specie oritur. Et quid per byssum, nisi candens decore munditiae corporalis castitas designatur? Quae videlicet torta, pulchritudini superhumeralis innectitur; quia tunc castimonia ad perfectum munditiae candorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur. Cumque inter virtutes ceteras etiam afflictæ carnis meritum proficit, quasi in diversa superhumeralis specie byssus torta candescit.

CAP. IV UT SIT RECTOR IDISCRETUS IN SILENTIO, UTILIS IN VERBO.

Sit Rector discretus in silentio, utilis in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Saepe namque rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt: et juxta Veritatis vocem, nequaquam jam gregis custodiae Pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt: quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per